

tantam habet invidiam, ut veri ac fortis trib. pleb. stridorem perferre non possit, 2. in Rull. Utimur extenuatione 1. ut arte quadam arrogantiam dissimulantes, nos ipsos modestia causas verbis extenuemus: ut Cicer. de amicis. Sed quis ego sum aut in me que est facultas? magnum opus est, eget q₃ exercitatione non mediocri. Verrin. 6. Venio nunc ad illius, ut amici appellant, morbum & insaniam. 2. Ut ad versarios ipsos vel res ipsorum in contemptum adducamus. 3. Ut per eam rei alicujus difficultatem persuadendi gratia imitando extenuemus. Μεῖωσις subjicitur λιτότης, quæ est diminutio modestiæ causa usurpata, quæ fit ἀποφάσις, id est, negatione: ut, Id vos ab homine minimè stulto excogitatum esse fingitis, Cic. pro Deiot. Nullus homo non cupidus neq₃ appetens, de Leg. Agrat. 2. ὑπονεμασις, quando diminutivum loco primitivi usurpatur: ut, Quid cessat hic Romulus ex argilla & luto factus Epicureus, Cic. in Pison. Est autem ὑπονεμασις partim in verbis, quæ ὑπονεμασις, diminutiva, vocantur, cujusmodi sunt, corculum, animula, offensiuncula, convitiolum, morbulus, &c. Opus mihi est limatulo & politulo tuo iudicio, Cic. Partim in sententiis, ut, Homo ὄναρ τριῶν somnium umbra.)

II. Ἀλληγορία est tropi ejusdem generis continuati & conjuncti repetitio: ut, Arbor mala, quæ fructus bonos non fert, exciditur & in ignem conjicitur, Matth. 3. 10.

(Continuata hîc est Metaphora. Qualis & in seqq. Bibe aquam de cisterna tua, & fluentia de medio putei tui. Fontes tui deriventur forâs, in plateis rivi aquarum sint: tu autem Dominus earum maneto, Prov. 5. 15. 16. Cujus ventilabrum in manu ipsius, & permundabit aream suam: & colliget triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inextinguibili, Matth. 3. 12. Huc pertinent omnes parabola in Evangelicâ historia propositæ, quæ aliud nil sunt quàm Metaphora allegorica. Talis est apud Plau-